



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Modestia & Caritatis ad conuersionem efficacia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Exceptus est nunc quoque, & auditus maiore
quadam auiditate tanquam ex longo collecta
fame Præcipuè autem salutaris reuersio fuit Ana-
baptistæ grandæuo, qui bona ætatis parte in ea
hæresi consumpta, iam & partibus Magistri su-
sceptis Augustæ conciliabulum quoddam ex pa-
riter delirantibus domi suæ frequens habebat,
cœtumque omnem autoritate præcipua guber-
nabat. Cum autem præstans in artificio, quod
profitebatur (& solent Anabaptistæ in operibus
artium profiteri subtilitatem) idemque, quantū
monstrabat facies, extra hæresin, homo esset mi-
nimè malus, ab omnibus ferè diligebatur. Ergò
coniectus in vincula, cum Protestantes æquè, Ca-
tholicique certarent, vt ad partes perlicerent, &
ad suos audiendos Doctores inuitarent, prætulit
omnibus ipse Canisium: acturumque cum vno
illo pronuntiauit. Continuo Pater ad eum vna
cum Duum viro catholico venit. Disputatio in-
stituitur, sed modesta admodum, atque tranquil-
la, collationi propior; vt Anabaptista facilitate
Patris, & caritate plurimum caperetur. Denique
illapso diuinitus radio, ita permotus est, paula-
timque dedoctus, vt veritati manus daret: sectæ-

*Nobilem Ana-
baptistam con-
uerit.*

*Modestia &
Caritatis ad
conuersionem
efficacia.*

b 3

que

que impiæ capita in libello proposita chirographo suo configeret : ad extremum productus in curiam coram toto senatu omnes reuocaret, & execraretur errores, addito Sacramento nihil tale post hæc defensurum, aut crediturū. Canisius autem tot inter labores, & curas vt vna, eadēq; opera Ecclesiam vtrāque, & quæ triūphat in cælo, quæ militat in terris, demereretur, locuples Martyrologium accuratè compositū euulgauit approbatione magna, nec vsu minore. Ita nunquā exhaustus, nunquā delassabatur foecunda illa, & quæ ferrea caritas. Ita calami vires cum voce iūgebat.

1563.

*Gravissima in
causa reipub-
lica succurrit.*

Dum ita res è sententiâ fluunt Augustæ anni iam exorto seculi eius supra sexagesimum tertium euocatur à Ferdinando Cæsare Oenipontum grauissima de causa. Quam supersedeo exequi pluribus hoc loco. Illud modò significarim, cum res ad Concilij tranquillitatem, & dignitatem laudis Apostolicæ pertineret, ac proindè ad publicam Christianæ rei pacem, ita apud Ferdinandum, cuius piam mētem consiliis parum opportunis per simulationem Reformationis auertere quidam conabantur, liberè, sapienter, ac demùm feliciter contendisse, vt Romæ Pontifex ex Cardinali Mo-

rono